

jurisdictione absolvendi Ecclesia, i. e. supremus ejus pastor, silentio toleravit, atque ita consensum suum satis declaravit et declarat, atque tacito illo consensu jurisdictionem, si forte desit, vere confert¹.

At de jurisdictione, quam vocamus *dubiam* (in dubio facti), nequam idem iudicium ferri, invenias ab auctoribus quam plurimis aut expresse dictum aut indubie suppositum, ut Lacroix l. 6 p. 1 n. 110 sqq., Less. *de jure et just.* l. 2 cap. 28 n. 67 et 68, Reuter *theol. moral.* p. IV. n. 53, S. Alph. l. 6 n. 432 II. Videlicet, Ecclesiam etiam tunc supplere, ex ea solum ratione multi opinantur, quod in solo errore communi, etiam sine titulo colorato, Ecclesia suppleat: id quod probabile quidem est, at non certum, quum et moralistarum et canonistarum ingens numerus id fieri neget: v. Alph. l. c. n. 572 et Gury *edit. Rat.* II. ad n. 548. Quare haec dubia jurisdictio et actionis susceptae *valor* etiam consequenter dubius manet.

389 Antequam vero ad III. Quaestionem transeamus, convenit, breviter sub uno conspectu ponere causas, in quibus Ecclesia suppleat vel non suppleat: quod quidem non in sola dubia vel probabili jurisdictione contingere potest, sed etiam, ut antea jam insinuavi, quando jurisdictio antecederet certo deest.

1. Si, qui exercet potestatem, suae potestatis *titulum coloratum* habet, et simul *error communis* est, ita ut defectus verae potestatis communiter ignoretur (sc. titulus coloratus dicitur ille Superioris actus ex se aptus, quo vera potestas conferatur, attamen propter essentialem aliquem defectum occultum invalidus): Ecclesiam tunc supplere, ex ipso jure ab Ecclesia condito vel approbato habemus. Ita ex c. „*Barbarius*“ Dig. 1, 14 (c. 3) jure R. civili, et ex cap. „*Infamis*“ caus. 3 q. 7 (c. 1), quod ab omnibus juris canonici scriptoribus pro legitima norma habetur.

2. Si *sine titulo colorato solum error communis* adest, multi quidem putant, Ecclesiam propter commune bonum, cui potissimum publica auctoritas provideat, etiamtum supplere; at quum nullam legem ecclesiasticam habeamus, quae id fieri statuatur, neque consensus Doctorum adsit, totum dubium manet.

3. Si *neque titulus coloratus est, neque error communis*, sed paucorum tantum: Ecclesiam supplere, nulla probabili ratione defenditur, sed communi consensu negatur.

NB. Errorem vero communem ut distinguas ab errore paucorum, non id considerari debet, utrum multi an pauci eum adierint, qui legitima potestate destitutus erat; sed utrum pauci multive defectum po-

¹ Praeter hanc rationem alia non spernenda affertur a Lacroix et aliis. Vid. si forte desit jurisdictio, eam saltem haberi propter errorem communem cum titulo colorato. Nam in *probabilitate juris*: 1) error *si* est, certe *communis* est, siquidem ne docti quidem viri eum detegere possunt; 2) titulus adest, sc. ipsa illa concessio, in cujus probabili interpretatione opinio, quae affirmat jurisdictionis existentiam, nititur, qui aut *verus* titulus est, aut saltem *coloratus*. Aliae autem rationes, quas a nonnullis scriptoribus allatas reperias, infirmae sunt aut evaserunt.

testatis cognoverint, an potius eum potestate legitima praeditum esse putaverint.

4. In jurisdictione *antecedenter juris probabilitate probabili*, moraliter certum est (sensu utique latiore), Ecclesiam hypothetice supplere.

5. In jurisdictione *dubia dubio facti* 1) Ecclesia hypothetice non supplet, si error est paucorum; sed quoniam plerumque error communis erit, addo 2) dubium manere, num in errore etiam communi Ecclesia suppleat, e. g. in dubio facultatis *datae, perdurantis* etc.

III. Quaestio: ex qua causa jurisdictione dubia vel probabili uti liceat.

1. Non licet, ut jam supra monui, scienter uti potestate ex solo³⁹⁰ titulo colorato oriunda, etsi Ecclesia certo suppleat; qui vero defectum sui tituli, re ipsa colorati tantum, ignorat, quum valide egerit, postea nihil resarcire debet.

2. A fortiori non licet illi, qui omni potestate ejusque titulo destitutum se novit, propter solum errorem communem agere, tum quia *usurpat* potestatem, quam non habet; tum quia eos, quorum interest ipsius actum validum esse, periculo atque damno exponit.

3. Sed dubia potestate vel jurisdictione etiam in sacramento poenitentiae, *etsi dubia manet*, licet quidem uti, at *ex causa valde gravi* tantum, vid. quando necessitas absolvendi urget, et melius est aliquem dubie absolvi, quam absolvi nullatenus. Neque tum semper sine ulla monitione aut cautela poenitentem dimittere licebit, ne propterea, quod putet se certo absolutum esse, periculo salutis exponatur.

S. Alph. n. 571 recenset sequentes casus: 1) si urget praeceptum annuae confessionis; 2) si poenitens debeat celebrare vel communicare, nisi infamiae notam incurrere velit; 3) si sacerdos teneatur celebrare ex obligatione.

In ejusmodi adjunctis posse, si alter confessarius desit, eum, qui *dubia* tantum jurisdictione potiatur, conditionate absolvere, facile admitti debet: at scite animadvertit S. Alph. n. 432 „in hoc casu censeo, teneri confessarium patefacere poenitenti, qui ei confessus est mortalia, quod tantum sub conditione absolutus sit, ut, si postmodum fortasse notum fiat, confessarium revera carere jurisdictione, poenitens iterum confiteatur peccata“ — quod per se utique semper faciendum est, nisi forte gravis ratio sit timendi, ne haec monitio potius in ruina spiritualem poenitentis tendat¹.

4. Si vero *probabilis* jurisdictio sensu supra explicato habetur,³⁹¹ quum morali periculo *valor* absolutionis non exponatur, tota fere quaestio, num et quando liceat ‚probabili‘ jurisdictione uti, solvenda

¹ Causis modo allatis adnumerandus videtur alius casus: nimirum si sacerdos bona fide incepit confessiones audire, interim autem grave dubium concipit, an tempus suae approbationis exspiraverit, neque certus fieri potest: confessionem, quae coepta et jam notabiliter producta est, tum videtur perficere posse, quando sibi et poenitenti secus magnum odium creaturus est, admonito tamen poenitente de dubia absolutione; at si sine nimia difficultate potest, abrumpere debet.

est ex principiis probabilismi pro casibus, in quibus de solo licito et illicito agitur: nisi forte excipias absolutionem hominis in articulo mortis constituto, quando in singulari aliquo casu etiamtum probabilis tantum juris interpretatio pro jurisdictionis existentia suppetit. Videlicet *moraliter* quidem in latiore sensu certum est, Ecclesiam actum probabilis jurisdictionis hypothetice validum facere, atque in communi vitae cursu sufficit, cum tali certitudine procedere: quando vero de mortis periculo agitur, major certitudo, quae alias scrupulosam anxietatem denotet, tunc censetur cura non superflua, interdum debita.

392 5. Quare ultimo jam exponendum est, *quid juris sit in articulo mortis.*

1) Trid. Conc. loquens de casuum reservatione sess. 14 c. 7 (dogm.) ait: „Verumtamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt.“

Rituale Rom. *de sacramento poenit.* ab initio ita dicit: „Minister (sc. hujus sacramenti) est sacerdos habens potestatem absolvendi vel ordinariam, vel delegatam. Sed si periculum mortis immineat approbatusque desit confessarius, quilibet sacerdos potest a quibuscunque censuris et peccatis absolvere.“

Verba Conc. Trid. ejusque intentio diversos nacta sunt interpretandi modos, quum alii putent, quoslibet sacerdotes sine ulla exceptione ab ipsa Ecclesia recipere jurisdictionem, alii restrictionem addendam esse putent „si modo desit sacerdos approbatus, cui facile et sine periculo moribundus confiteri possit“, (limitantes nimirum verba „atque ideo omnes sacerdotes“ ex fine, quem priora verba „ne quis pereat“ etc. prae se ferunt atque alia „ut nulla sit reservatio“, quo indicetur, agi de sacerdotibus alias jurisdictione donatis).

Priorem sententiam probabilem esse et consequenter, nisi agatur de ipso mortis articulo, practice tutam fore, fatendum est tum ex auctoritate multorum scriptorum, tum ex regulis interpretationis (cf. Ballerini ad Gury II. n. 551): at quum posterior opinio etiam probabilitate non destituatur, ea *hoc sensu* praeferenda est, ut saltem sacerdos approbatus, licet confessionem primitus non excipiat, tamen postea iterata *aliquali* confessione denuo absolvat.

2) Porro omnes consentiunt, sacerdotis approbati rationem habendam non esse: a) si tandem incepta jam confessione superveniendo adfuerit; b) si ille nolit confessionem excipere; c) si periculum sit, ne poenitens sacrilege apud eum confiteatur, aut alia gravis causa contra sacerdotem approbatum existat.

3) Articulo mortis comparari etiam quodlibet *grave periculum* (vide S. Alph. n. 561), sicut adesse censetur: a) in morbo periculoso, b) tempore pestis, c) in partu difficili, d) ante operationem chirurgicam valde arduam, e) in proelio sive paulo antea, f) ante navigationem valde periculosam etc.

4) Illud autem „quoslibet sacerdotes“ sic intelligitur, ut deficiente alio sacerdote, etiam sacerdos haereticus, vel excommunicatus vitandus valide absolvere possit, et, saltem si requiritur, absolvere debeat. Ita hodie certissimum est. Refert enim Card. Albitius — ut videre licet apud S. Alph. n. 560 circa fin. — anno 1682 Innocentium XI., quum hac de re in

S. Congr. Officii disceptatum esset, jussisse „ne super dicta opinione disceptaretur, neque in dubium amplius revocaretur.“ Gury-Ball. n. 550.

Cur autem hic *prorsus* addendum sit „deficiente alio sacerdote“, ratio clara est. Communicatio enim in sacris cum haeretico vel cum vitando graviter peccaminosa est, nisi necessitas excuset; ergo nisi quilibet alius sacerdos desit, poenitens ipse peccat postulando absolutionem ab haeretico vel vitando, ut ex hac sola ratione jam absolvi non possit.

§ 3.

De illa jurisdictione delegata, quae lege speciali regitur.

Trid. Conc., quum, ut jurisdictione delegata valida existeret, 393 praescripserit approbationem Ordinarii, ut supra jam notatum est, de solis confessionibus *saecularium* haec dixit. Restat igitur, ut videamus, quodnam jus servandum sit 1) quoad confessiones regularium et eorum, qui eorum obedientiae subsint, 2) quoad confessiones monialium.

Punctum I.

De jurisdictione in regulares eorumque familiares.

I. Praelati regulares, sive Superiores locales, quamquam in suos subditos jurisdictionem plenam atque etiam in foro interno habent eosque in sacramentali confessione absolvere possunt, tamen tenentur alios confessarios constituere, ne ad confessionem apud se peragendam subditos cogant, quibusdam casibus exceptis, qui videndi sunt seq. § *de casuum reservat.*, et alias in ordinum constitutionibus. Cf. Clem. VIII. decret. „*Sanctissimus*“.

II. Confessarii a Superiore regulari deputati sine ulla alia approbatione ipsos religiosos absolvere possunt. Deputari seu delegari autem possunt non solum sacerdotes regulares, sed etiam sacerdotes saeculares, licet ab Episcopo non approbati, nisi forte specialis constitutio certi ordinis obstat. Mazzotta *de poenit.* disp. 2 Q. 1 cap. 3 § 2 ex sent. comm.

III. Ii autem, qui ex solius Superioris deputatione absolvi possunt, sunt non tantum ipsi religiosi cum novitiis, sed etiam ii saeculares, qui in monasterio seu collegio „sunt vere de familia et continuo commensales“ Clem. X. „*Superna*“.

IV. Probabile est, familiaribus adnumerari posse alumnos convictores, qui plene sub obedientia religiosorum vivunt atque in collegiis educantur.

V. Id vero discrimen statuendum videtur, ut religiosi ipsi per solos confessarios a Superiore regulari deputatos absolvi possint, familiares autem sive ab illis, sive a confessariis extra monasterium ab Episcopo deputatis.

Explicatio. Ad I. Superiores igitur ipsi, quando subditi confiteri volunt apud ipsos eos admittere debent: sed subditis communiter id liberum esse oportet. Id tamen non impedit, quominus pro diversis religiosorum coetibus etiam ejusdem domus diversi constitui

possint confessarii, ita ut nullus regularis valide confiteatur, nisi apud eum, qui vere deputatus sit a Superiore: regulariter tamen *plures* constitui debent, ita ut apud subditum aliqua eligendi facultas sit: v. Clem. VIII. loco cit. et infra n. 417.

Ad II. 1. Confessarius regularium eos, pro quorum confessionibus audiendis deputatus est, etiam extra conventum absolvere potest: quia illa jurisdictio ad certum locum non restringitur, neque alia approbatio Episcopi loci requiritur.

2. Imo regulares itinerantes debent confiteri socio ejusdem ordinis, si quem habent, etsi alias ad confessiones audiendas deputatus non erat: nam ipsa ordinis lex eum tum deputat¹ (videndae tamen sunt diversorum ordinum constitutiones): quum vero socius ordinis presbyter deest, confiteri possunt apud quemlibet alium sacerdotem sive regularem sive saecularem, etsi ab Episcopo non approbatum — vid. ipse ordo seu ejus Superior in tali casu cuilibet sacerdoti, quem religiosus elegerit, jurisdictionem delegatam concedit. — Haec libertas etiam pro membris Soc. Jesu valet, donec in domum Soc. deverterint, ita ut in itinere sacerdotem sui ordinis quaerere non teneantur.

³⁹⁵ Ad III. 1. Clem. X. in Bulla „*Superna*“ haec habet: „Ceterum in monasteriis atque etiam collegiis, ubi juxta regularia instituta vivitur, posse tam praelatos regulares quam confessarios regularium eorundem monasteriorum seu collegiorum audire confessiones illorum saecularium, qui inibi sunt vere de familia et continui commensales, non autem illorum, qui tantum ipsis deserviunt.“ Sc. ii, qui continua habitatione et victu cum religiosis conjunguntur et intra septa monasteriorum commorantur, exemptionem a jurisdictione Episcopi dioecesani participant, et praelati religiosi jurisdictioni subduntur: ex quo quodammodo consequens erat, ut eorum absolutio ab Episcopi jurisdictione et approbatione non jam dependeret. Cf. etiam Trid. sess. 25 *de ref. reg.* c. 11. „In monasteriis seu domibus virorum seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum saecularium, praeter eas, quae sunt de illorum monasteriorum seu locorum familia, personae tam regulares, quam saeculares hujusmodi curam exercentes subsint immediate in iis, quae ad dictam curam et sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi et correctioni Episcopi, in cujus dioecesi sunt sita.“

2. Famuli igitur et operarii, qui propriis expensis vivunt, etsi servitio monasterii sese addixerint, non possunt absolvi, nisi Episcopi approbatione obtenta; multo minus operarii diurni seu mercenarii pro certis diebus conducti.

³⁹⁶ Ad IV. 1. Scriptores inter se dividuntur, si decidenda est quaestio, utrum verba Clem. X. „qui inibi sunt vere de familia etc.“ verificentur etiam relate ad alumnos convictores, qui institutionis et educationis causa in collegio regularium commorantur, annon. Afirmat Mazzotta l. c.,

¹ Atque hoc, saltem pro Soc. Jesu, sic intelligitur, ut in itinere, si presbyter socius itineris sit, apud eum fieri *debeat* confessio, nec possit fieri apud socium ordinis forte occurrentem; v. Lacroix lib. 6 p. 2 n. 1524.

Bordone, Pichler, Schmalzgr. etc., si modo collegium totaque ejus gubernatio ad religiosos spectat, neque religiosi vocati tantum sunt, ut magistros agant. Nam non minus videntur esse de familia, quam ii, qui intra septa habitantes religiosis deserviunt; imo ex parte magis etiam sub religiosorum obedientia sunt.

2. Praeter nonnullorum auctorum sententias, qui affirmant ex solis verbis Clem. X., ad hanc opinionem practice confirmandam afferuntur aliquae concessioniones seu privilegia aliquibus religiosis congregationibus *in hoc sensu expresse data*: quare ad alios ordines, qui in privilegiis communicant, si nondum ex concessionione Clem. X. habeant, ex posterioribus concessionibus id extenditur. Cf. Gury-Baller. II. n. 564, ubi afferuntur *Benedictini, Theatini, Congr. de Somascha* etc., quibus datum sit privilegium *familiaritatis* pro ipsorum convictoribus.

Quum ergo saltem probabile sit, illos alumnos considerari posse in sacramenti poenitentiae administratione ut familiares, agere licebit secundum principia probabilis jurisdictionis supra data.

Ad V. 1. Religiosos ipsos per vota consueta ordini adscriptos³⁹⁷ nullatenus absolvi valide posse, nisi per potestatem a Superioribus delegatam, extra omnem controversiam est. Solus Papa, qui omnium religiosorum supremus Praelatus est, aliis etiam hanc potestatem concedere valet. Quod plerumque in jubilaicis facit. Quoniam vero Societati Jesu aliisque pluribus ordinibus id singulare privilegium concessum fuit, ut neque favore jubilaici, neque si omnibus regularibus, etiam Mendicantibus, id permittatur, aliis confiteri valeant, nisi iis, qui intra domum ad confessiones audiendas deputati sint (Gregor. XIII. „*Decet Rom. Pontificem*“): in singulorum jubilaicorum indictionibus videri debet, utrum huic constitutioni derogetur, necne.

2. Novitios per se eadem lege adstrictos esse, dici debet, ita ut valor confessionis, quam forte instituant apud confessarium externum ab Episcopo approbatum et delegatum, pendeat a consensu Superioris sive expresse sive tacite dato.

Scio equidem nonnullos esse, qui dicant cum Pelliz., Mazz. l. c. (v. Lacroix l. 4 n. 65), novitium absolvi posse sicut quemlibet saecularem, ac propterea vi jurisdictionis sive a Superiore sive ab Episcopo datae: id tamen verum esse nullo modo videtur. Tantum id admitti potest, ubi Superior sciens hanc opinionem inter suos vigere non contradicat, eum tacite hanc potestatem tribuere: in quo casu novitius, etsi putet se absolvi vi jurisdictionis episcopalis, re ipsa absolvitur vi jurisdictionis a praelato regulari tacite delegatae.

Liberum quidem manet novitio, relicto novitiatu ad saeculum redire: quo facto, a quolibet confessario saeculari ab Episcopo approbato absolvi potest; at non amplius in ejus arbitrio est, mutato consilio iterum novitium agere et tempus antea exactum pro parte legitimi novitiatus computare. Sed quamdiu novitius manere vult et manet, a jurisdictione Episcopi personaliter *exemptus* eique subtractus, atque plane jurisdictioni ordinis subiectus est. Ejus domicilium tantisper solum monasterium est. Nam exemptionis privilegium non tam pro privilegio singulorum, quam pro privilegio ordinis haberi debet; propterea ordini jus competere debet, ut novitius

vere ordini subjectus sit atque etiam corrigi, imo puniri possit, etiam casuum reservatione: quae omnia frustra darentur, si novitius *pro libitu* sive ordinis sive Episcopi jurisdictioni sese subdere posset. Neque amplius absolvi potest ab eo, qui ipsius Superior esse desiit.

Quod clare etiam comprobatur ex variis SS. Pontificum decretis. Ut hoc unum afferam, Leo XII. Brevi „*Plura inter*“ quum dixit „Societatis (Jesu) alumni confiteri nequeant animae noxas nisi iis, qui a praeposito facultatem habuerint sacras eorum confessiones audiendi“, satis comprehendit novitios, imo statim postea illis facultatem confitendi etiam magis *restringit*, quum derogat legi quoad tironum magistros, ne, si praesules sint, possint esse confessarii, cui debeant novitii confiteri.

398 3. Familiaribus autem probabilibus dici potest competere facultas confitendi sive apud confessarium a Superiore deputatum, sive apud externum ab Episcopo approbatum, nam illi utique *proprie saeculares* sunt et manent, qui legibus regularium non subdantur; possunt semper obedientiae monasterii pro arbitrio sese subducere, et mutato consilio redire; imo si Superiores monasterii respicimus, ne illi quidem, quantum ad ipsos spectat, familiares unquam impedire velle videntur, quominus apud saeculares confessarios confiteantur. Considerari igitur possunt ut ii, qui duplex quasi domicilium habent, in monasterio et extra. — Haec a fortiori valent de alumni convictoribus: imo de familiaribus in „domibus parvis“ haec eo minus dubia esse possunt, quando illae parvae domus jurisdictioni et praelati regularis et Episcopi subjectae sunt.

4. Familiares a confessario regularium sine approbatione Episcopi absolvi possunt non tantum, quando actu sunt in monasterio, sed etiam extra monasterium in itinere, modo maneant sub obedientia regularium. Mazzotta l. c.

Quare alumni convictores, quum primum in feriis potestati parentum sive eorum, qui a parentibus constituti erant, redditi aut suae libertati relicti sunt, non amplius absolvi possunt a regularibus sine approbatione Episcopi loci, ubi versantur. Nam etsi forte subsequenti anno alumni redituri sunt, nunc tamen relatio subjectionis ad regulares soluta vel suspensa est.

Punctum II.

De jurisdictione et approbatione pro confessione monialium.

399 I. Pro confessionibus monialium ex constitutionibus SS. Pontificum *specialis omnino* approbatio requiritur, quae data non censetur generali approbatione pro omnibus Christi fidelibus; neque approbatio pro uno monasterio secum trahit approbationem pro omnibus monasteriis, etsi ejusdem ordinis: v. Greg. XV. „*Inscrutabili*“ — Clem. X. „*Superna*“ — Ben. XIV. „*Pastoralis officii*“ et „*Pastoralis curae*“.

II. Haec specialis approbationis necessitas ex SS. Pontificum decretis oriunda restringitur ad moniales stricte dictas intra clausuram viventes, per se non 1) ad congregationes religiosas sine clausura Papali institutas, neque regulariter 2) ad moniales cum licentia extra monasterium degentes refertur: v. Mazzotta l. c. § 3.

III. Potest autem Episcopus a communi approbatione etiam quilibet mulierum congregationes, conservatoria eximere: quod si fecit,

ejus statutis omnino standum est, neque tunc illae mulieres, eo quod extra domum ad aliquem confessarium accedant, ab eo absolvi possunt¹, siquidem id communiter accidit, ut extra domum versari possint².

IV. Monialibus, pro quibus specialis approbatio requiritur vi statutorum SS. Pontificum, bis terve in anno exhibendus est confessarius extraordinarius, cui omnes quidem praesentare se debent, confiteri non debent. Ben. XIV. „*Pastoralis curae*“.

¹ At in angustiis oppidis, ubi parochus solus est sacerdos, neque quolibet triennio confessarius mutari potest: moniales non claustrales, si pro suscipiendis sacramentis parochum parochialemque ecclesiam adire solent, lege illa confessarii specialiter approbandi adstringi nequeunt, sed pro opportunitate extra propriam domum confiteri possunt apud quemcumque confessarium ab Ordinario approbatum: S. C. Ep. et Reg. 22. Apr. 1872 v. Collectan. Mission. n. 526 ad 3.

² Quoad moniales earumque confessiones PP. Conc. pl. Balt. II. statuerunt, ut Episcopi eodem modo procedant, sicut Ecclesia praescripsit circa moniales stricte dictas, quamquam longe plurimae non emittant vota solemnia neque arctam clausuram Papalem observent. Praecipua statuta sunt haec:

Art. 417. „Ut de Sacris Virginibus apud nos Deo dicatis usurpemus verba Fratrum Nostrorum in Concilio Ravennatensi: „Sacrarum Virginum confessionibus excipiendis eos tantum Episcopi praeficiant, qui, qua par est, morum gravitate, prudentia, doctrina et asceticae artis intelligentia praediti reperiantur. Meminerintque, Tridentinos Patres, ad opportunum solatium remediumque afferendum ipsarum animis in afflictione interdum et angustia constitutis, praecipisse, ut *praeter ordinarium Confessorem alius extraordinarius ab Episcopo et aliis Superioribus bis aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat*. Offerant itaque Monasteriis omnibus suae jurisdictioni subjectis instantque pro viribus, ut a Superioribus etiam Regularibus quoad Sanctimonialibus eorum regimini subjectas idem, juxta formam a Benedicto XIV. praescriptam, exhibeatur. Nec se iidem Episcopi adeo difficiles praebent, peculiariibus etiam Monialibus Confessarium extraordinarium aliquando petentibus; quin potius, nisi aut Monialis postulantis, aut Confessarii requisiti qualitas aliter faciendum suadeat, earum justis precibus libenti animo obsecundent.“

Circa votorum naturam ipsa S. Sedes rescripserat: I. „Vota, quae a Monialibus a Visitatione Beatae Virginis Mariae nuncupatis emittuntur in monasteriis locorum Georgetown, Mobile, Kaskasia, St. Aloysii et Baltimore, attentis Rescriptis a Sancta Sede ab iisdem jam impetratis esse solemnia.“ II. „Quoad clausuram, praedictas Moniales uti posse facultatibus sibi in variis Rescriptis a Sancta Sede Baltimorensi Archiepiscopo concessis.“ III. „Ratione habita ad locorum temporumque circumstantias, in posterum ab iisdem Monialibus Visitationis, post expletum novitiatum, emittenda esse vota simplicia; exactisque quinque annis a votorum simplicium professione admitti eas posse ad vota solemnia nuncupanda, praeviis spiritualibus exercitiis per decem dies; professas autem votorum simplicium frui et gaudere omnibus et singulis gratiis et favoribus spiritualibus, quibus professae votorum solemnium fruuntur et gaudent.“ IV. „Vota, quae ab aliis Monialibus in Monasteriis jam erectis emittuntur, esse simplicia, excepto casu, quo Rescriptum pro votis solemnibus emittendis ab Apostolica Sede obtinuerint.“ V. „Tandem in Monasteriis in posterum erigendis in singulis Statibus Unitis vota a Monialibus esse emittenda simplicia.“ — Quibus PP. Conc. Balt. addiderunt:

Art. 420. „Constat vero ea, quae in articulis IV. et V. habentur, ad omnes hujus regionis Moniales, quocumque veniant nomine, applicanda esse, iis exceptis Monasteriis, de quibus in primo articulo fit sermo. Hoc vero tum ex iis manifestum est, quae in ipsa Sacra Congregatione gesta sunt: tum per verba Eñi Cardinalis Sacrae Congregationis de Propaganda Fide confirmatur.“ Cf. Collect. Lac. t. III. col. 512 et 513.

Si quas vero alias pias mulieres Episcopus exemit ab ordinaria approbatione confessariorum, prorsus convenit, ut eodem modo aliquoties in anno confessarium extraordinarium iis exhibeat: imo id illae mulieres aliquo modo postulare possunt.

V. Offerri debet ille extraordinarius confessarius, si moniales *exemptae sunt*, a praelato regulari, cui sunt subjectae, Episcopo *approbante*; si exemptae non sunt, ab Episcopo. Praelato negligente oblatio ad Episcopum devolvitur; quodsi etiam Episcopus muneri suo desit, Cardinalis Poenitentiarius Major a monialibus requisitus supplebit. (V. Gury-Ball. not. ad II. 566; Ben. XIV. Const. „*Pastoralis curae*“.)

400 **Uterior explicatio.** Nota insuper ad I. 1. Quamquam approbatio pro uno monasterio non ulterius extenditur: tamen Episcopus *potest* confessarium aliquem approbare pro omnibus monialibus suae dioecesis.

2. Approbatio pro monialibus *confessario ordinario* dari nequit ultra triennium sine licentia S. Congr. Episc. et Regul. Attamen non ubique hoc S. Congr. decretum servatur; quare ibi approbatio valet usque ad revocationem: v. Bouvier ed. secundum theologos Rom. emend.

Ad II. et III. 1. Quamquam jam secundum solas interpretationis regulas „moniales“ in Bullis Pontif. stricte intelliguntur, i. e. alicujus *ordinis* a S. Sede approbati, nec comprehenduntur mulieres in religiosa aliqua congregatione adunatae, quae Papalem clausuram non servant: expresse tamen etiam Ben. XIV. in Bulla „*Pastoralis curae*“ testatur, Tridentum sess. 25 c. 10 *de reg.*, quod partem praesentis disciplinae continet, „de solis claustralibus monialibus“ loqui.

Ratio vero, cur monialem cum licentia extra monasterium degentem, nisi specialiter ipsi moniali provisum fuerit, excipiamus a necessitate confitendi apud confessarium *specialiter* approbatum, ea est, quia aliter confessario careret.

2. Discrimen igitur inter moniales claustrales et inter moniales latiore sensu sumptas aliasque mulierum congregationes quoad confessarium hoc est, ut 1) generalis approbatio ad excipiendas confessiones nullatenus sufficiat pro confessionibus monialium claustralium audiendis, etsi in approbatione nulla restrictio facta sit; sed ut 2) Episcopus, si approbationem pro aliis monialibus vel mulieribus dare non velit, hanc restrictionem positivo modo facere debeat: alias enim in generali approbatione approbatio pro ejusmodi mulieribus etiam data intelligitur.

401 **Ad IV.** 1. Extraordinario confessario confessiones excipiente, ordinarius confessarius non potest illo tempore in monasterio versari. Hoc enim ita constitutum est, quo liberius *omnibus* monialibus pateat sine ulla difficultate accessus ad extraordinarium confessarium.

2. Eo quod bis vel ter extraordinarius confessarius offerri *debet*, non impeditur, quominus *pluries* offeratur.

Praeterea moniali postulanti extraordinarius confessarius concedendus est a) in periculo mortis; b) si alias nequit adduci, ut ordinario confessario confiteatur; c) imo etsi id non recusat, si modo ex rationabili causa alterum desiderat, Superiores sese minime difficiles praebere debent, ut ait Ben. XIV. „*Pastoralis curae*“; imo addit S. Pontifex: „quin potius earum justis precibus obsecundare studeant. Etsi liberum sit cuilibet mo-

niali Cardinalem majorem Poenitentiarium adire, cui ea in re (in designando sc. confessario) facultas cumulativa cum omnibus locorum Ordinariis a R. Pontifice tribuitur, nihilominus ea est aliquando necessitatis urgentia, ut remedium, quod de longinquo petendum est, non satis tempestive adveniat.“

Ceterum si moniali in periculo mortis constitutae extraordinarius confessarius designandus negetur, satis provisum est decreto Trid. sess. 14 c. 7 „in articulo mortis omnes sacerdotes quoslibet poenitentes . . . absolvere posse“.

Ad V. 1. Imo circa confessarium extraordinarium id statutum est, ut praelati regulares, quibus moniales subjectae sint, non semper exhibeant confessarium sui ordinis, sed saltem semel in anno confessarium aut saecularem, aut alterius ordinis regularis exhibere debeant.

2. Si praelati regulares id negligunt, vel si generatim statutis temporibus extraordinarium confessarium deputare omittunt: Episcopo *semper* conceditur facultas eligendi aliquem aut ex clero *saeculari*, aut ex clero regulari *alterius ordinis*. Cf. Ben. XIV. Constit. cit.

Articulus IV.

De jurisdictionis limitatione seu casuum reservatione.

Trident. Concilium ex natura iudicii, sub cujus forma sacra-⁴⁰²mentum poenitentiae institutum sit, quasi necessariam conclusionem deducit potestatem, qua et Romanus Pontifex et Episcopi polleant, atrociora crimina sibi seu suo peculiari iudicio reservandi: v. sess. 14 cap. 7.

Et re quidem vera casuum reservatio nihil aliud est, nisi aut certa peccata excipi, quando iudex ordinarius aliis jurisdictionem delegat, aut certa peccata seu graviore causas a *summo* iudice ad suum tribunal vocari atque inferiorum tribunali subtrahi: quorum prius ad quoslibet pertinet, qui *ordinariam* jurisdictionem in certos subditos habent — possunt enim pro arbitrio *suam* potestatem aliis sive totam sive ex parte tantum delegare —: posterius ad Summum Pontificem maxime spectat, qui pro suprema sua potestate aliquas causas Episcoporum iudicio subtrahere atque suo iudicio speciali subicere potest.

§ 1.

Quid requiratur, ut casus sint reservati.

I. Nemo peccata reservare potest, nisi *subditorum suorum*: nam nisi in aliquem ejusque peccata potestatem habet, eum cogere non potest, ut ad se vel specialem delegatum peccata deferat.

II. Reservatio, quamquam directe versatur circa peccata subditorum, tamen etiam recte dicitur afficere confessarium ejusve potestatem, quam vel jam existentem et ordinariam restringit, vel conferendam seu delegandam restricto tantum modo contribuit.

III. Ut peccatum sit reservatum, 1) ex natura rei, ut pleno sensu reservetur, debet esse *mortale*; ex consuetudine Ecclesiae debet 2) esse